

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. III.—IV. 1905, pg. 504—509.)

Sectio secunda.

Epitome secundi Libri Constitutionum.

Liber secundus Constitutionum Vallisoletanarum pertractat de regimine Monasteriorum, et in eo praecipue continentur quae pertinent ad Abbates aliosque Superiores et ad officiales eorundem. Agitur etiam de Novitorum receptione ac professione; de votis et exercitiis monachorum; et postea de Prioratibus aliisque Domibus adnexis; et tandem de Conversis atque Monialibus. In illo epitomando materiarum potius quam capitum ordinem aliquanto brevius sequemur. Itaque ante omnia de ordine gradibusque Monachorum, et de privilegiis atque exemptionibus loquemur.

§ I.

De ordine communitatis.

Primus in omnibus Monasteriis Congregationis erat Abbas Generalis, cui titulus „Reverendissimi“ tribuebatur, illumque omnes monachi alloquentes vel scribentes vocabant „Rmum. Patrem nostrum“ aut „Rmam. Paternitatem“ (Cap. XVIII, n. 2).¹⁾ Post eum sequebantur qui Abbates Generales fuerant et „Reverendissimi“ quoque appellabantur. Si tamen regimen Monasterii non habebant, locus ejus erat ibi post Praelatum. Eximebantur die noctuque ab officii divini recitatione in choro (exceptis diebus primae classis ad Vesperas, Matutinum, Tertiam et Processionem), atque ab officiis hebdomadarii. Missam ad propriam intentionem celebrare poterant, exceptis quae Defunctis Congregationis praescribebantur. Degentes Matrii habebant pro servitio fratrem Conversum et famulum secularem. (ibi 3. XIX, n. 1.) — In Monasteriis Capitularibus, absente Abbate Generali, primum locum tenebat Abbas eorum, cui reverentiae causa dabatur titulus „Paternitatis“ sed non appellabatur „Reverendissimus“ (n. 4). Post eum sequebantur Definitores juxta ordinem nominationis suae, sed praecedentibus qui fuissent Generales (5), deinde Visitatores Generales, Magistri et Praedicatores; postea qui septies suffragium in Capitulo generali habuerant, Magistri et Laureati Universitatis Salmanticensis; item Magistri aliarum Universitatum, Procuratores generales Romae et Matrii, Chronographus Congregationis. Socius atque Secretarius Abbatis Generalis et tandem Vicarius Monialium.

¹⁾ Constit. antiq. cap. 50.

Sti Placidi Matritensis, qui omnes potiebantur exemptionibus illorum qui fuerant Generales in iis quae ad Chorum et Missae celebrationem pertinebant (6—13 — XIX 1).

Si in aliquo Coenobio erat monachus qui ibidem fuisset Abbas locum habebat post Definitores, et eximebatur ab officio hebdomadarii; quo privilegio potiebatur etiam in ceteris Monasteriis si bis fuisset Abbas, aut semel Abbas et semel Definitor (XVIII, 6 — XIX, 4).

Rectores Collegiorum Congregationis, sex Magistri totidemque Praedicatores supernumerari seu „de gratia“, necnon qui in alterutro officio cursus praescriptos compleverant et septuagesimum aetatis annum attigerant, gradum obtinebant immediate post Capitulares, titulo etiam „Paternitatis“ vocabantur, et exempti erant ab officio hebdomadarii atque ab assistentia Chori, exceptis diebus festis et quibusdam tantum horis (XVIII, 15 — XIX 2).

Priores Abbatiarum Capitularium sedebant post omnes supradictos, nisi superior gradus alia ratione eis competeret: absente vero Praelato, praesidebant conventui, et praecedebant omnibus Capitularibus (16),¹⁾ quod servabatur quoque cum vacabat Abbatia et tunc pariter eis tribuebatur primus locus in Filiationibus et Prioratibus ejusdem; et in aliis Coenobiis quem competeat suo Monasterio juxta Constitutiones (Lib. 1, cap. V, n. 16), itemque titulo „Paternitatis“ honorabantur, sicuti etiam Prior illius Coenobii quod forte Abbas Generalis regebat, necnon Priores S. Benedicti Vallisoleti et S. Turibii de Liébana, atque Administrator S. Joannis Bapt. Burgensis, Procuratores Brigantinus et Vallisoletanus, Predicatores supernumerarii Regis Catholici et tandem Magistri Novitiorum in quibusdam Coenobiis (16, 18).

Abbatibus quibus subjecti erant: neque extra Domum quam regebant Patribus Capitularibus nec illis qui Monasterii maioris Abbates fuissent, excepto quando potiori gradu potiebantur (17).

Ceteri Monachi gradum habitus servabant, nisi Praelatus justis de causis aliquem praetulisset aut degradasset; Sacerdotes tamen praecedebant ceteris professis donec hi Sacerdotio initiarentur (25).²⁾ Attamen inter illos plures non paucis fruebantur exemptionibus, siquidem Lectores Collegiorum, Magistri Alumnorum, Lectores Theologiae Moralis atque Predicatores maiores non tenebantur ad recitationem divini officii in Choro nisi quibusdam diebus praecipuis, et eximebantur ab officio hebdomadarii (XIX, 2). Qui per duodecim annos munus magisterii aut praedicationis expleverant, et Lectores Theologiae atque Praedicatores

¹⁾ Cereemoniale, Part. 2, Sect. 2, cap. 1, pg. 579.

²⁾ Cereemoniale, loc. cit.

a Definitorio aut ab Abbate Generali designati, si ab opere injuncto non cessaverant, et praeterea habebant triginta annos habitus, aetatis vero quinquaginta quatuor, exempti erant a Matutino in Choro et a servitio Altaris (excepta Missa Conventuali), quo privilegio etiam potiebantur senes sexaginta annorum aetatis, et quadraginta vitae religiosae (3, 7).¹⁾

Nemo erat exemptus ab oratione mentali, nec a flagellatione seu disciplina, neque ab opere mundationis scoporum faciendo (5).²⁾

§ II.

De ordinando monasterio.

Abbates noviter electi cum perveniebant ad Monasterium recipiebantur a Conventu cum ceremoniis supra descriptis pro Abbate Generali (Sect. I. § III.)³⁾ cui statim ac possessionem Coenobii commissi assumebant, obedientiae juramentum in scriptis praestare tenebantur (Lib. I. cap. XXVI, 7–8).⁴⁾ Cum ergo ab illo confirmati erant, licet non benedicebantur, ex privilegio utebantur Pontificalibus,⁵⁾ et in Monasterio omnes actus potestatis et jurisdictionis ipsis competentes faciebant. (Lib. II. cap. I, n. 1–2.)

Intra mensem a regimine suscepto, computa Monasterii pendere tenebantur, vocato ad hoc, si opus erat, ejus praecessore per Abbatem Gen., cui unum exemplar novorum computorum mittendum erat ut statum Coenobii cognoscere posset (3–5). Deinde invisere debebant omnes officinas ut cum primum Abbas Gen. visitationem perageret, ipsi respondere possent. Quapropter etiam intra alterum mensem jussum erat ut vocarent Abbates Prioresque annexorum Coenobiorum, ut quisque officii sui rationem redderet juxta memoriale quod singulis tradebatur ante commissam administrationem, et cujus exemplar depositarius Abbatiae custodiebat. (7.)

Item intra mensem, sub poena suspensionis ab officio per biennium, inquirere debebant novi Abbates an observatae fuissent, durante Capitulo Generali, constitutiones de clausura, vel an quis accessisset ad loca vicina dicto Capitulo, quae si

¹⁾ Capit. Gen. an. 1805 ratione decretionis communitatum exorat omnes ut assistere velint ad Matutinum in Choro. (n. 2.)

²⁾ Ceremoniale, pg. 603, 606, 647.

³⁾ Ceremoniale, loc. cit. Sect. V., cap. IV., pag. 810.

⁴⁾ En formula: »Yo Fray N. electo Abad del Monasterio de N., prometo de guardar perpetuamente sugesion y obediencia por los Santos Padres constituida, segun la Regla de nuestro Glorioso Padre San Benito y nuestras Constituciones, á Vos el Reverendísimo Padre nuestro, el Maestro Fray N. General de la Congregacion de San Benito, y á vuestros sucesores que canonicamente fueren constituidos« (n. 10). Hoc juramentum praestare jussit Innocentius VIII. »Inter curas« 19. mart. 1483. Cf. Privilegia, pag. 127.

⁵⁾ Privilegia, pag. 33, 136, 152; Ceremoniale, pag. 436 seq.

transgressae fuissent, absque remissione in delinquentes animadversuri erant ad tenorem Constitutionum (9).

Denique pariter intra mensem pro regimine tam in spiritualibus quam in temporalibus eligere debebant novi Abbates cum consilio Seniorum Priores, Magistros Novitiorum et Juniorum, Confessarios, Sacristam, Cellerarium, Depositarium et Archivarium aliosque officiales, nisi mallent jam existentes approbare (6). — De his omnibus fuse pertractant constitutiones propriis capitibus, quae breviter recensemus postquam nonnulla praeferamus

I. De consilio Seniorum.

Consilium Seniorum in Monasteriis, quae quadraginta (vel plures) Monachos habebant, constabat quindecim Patribus, non computatis Capitularibus Congregationis (III, 3)¹⁾ in aliis coenobiis ex tertia parte Conventus. Ad hoc assumi debebant Monachi saltem quindecim annos habitus habentes (exceptis officialibus), vel si deessent, antiquiores qui tamen sub disciplina adhuc non degerent. (5—6). Electio illorum fiebat in ipso consilio suffragiorum pluralitate, et electus jurabat se omnia quae in Consilio tractarentur secreta servaturum; secus suffragio privari poterat, licet ei manebat recursus ad Abbatem Gen. (7, 10). Ex ipsis Patribus eligebatur qui Secretarii munere impletet, cujus erat. Acta Consiliorum fideliter scribere atque signare in Libro qui penes Abbatem custodiebatur (11, 12).

Abbas fere semper consilio seniorum parere debebat, nihilque alicuius momenti absque illo perficere: scilicet, nullum opus singulis annis quod quinquaginta ducata excederet sub poena suspensionis ad sex menses (XXVI, 1) quae ad annum protendebatur si nova aedificia construebat, vel jam incoepta non prosequeretur; quod in litibus erat quoque servandum (2, 3). Pariter sub privatione vocis activae ac passivae acceptare nequibant Missas perpetuas aliaque huiusmodi onera (XXIII, 19) neque contractus peragere (ibi 2 et seq.).

II. De Prioribus.

In Abbatiis Capitularibus Vallisoletanis erant duo Priores, quorum unus vocabatur „Prior maior“ alter „Prior secundus“, uterque in Consilio Seniorum eligendus, ut dictum est. (Cap. II, 1, 12).²⁾

Ad officium „Prioris maioris“ requirebantur anni professionis et cursus studiorum praescripti pro Abbatibus, secus habere debebant octodecim annos habitus (ibi n. 2). Eligi nequibant qui apti non essent ad explanandam Stam. Regulam et ad suscipi-

¹⁾ Constit. antiq. cap. XL, et Ceremoniale, pag. 600 seq.

²⁾ Constitut. antiq. cap. XXXIII, Ceremoniale pag. 512 seq.

endum regimen animarum, neque qui die noctuque actus conventuales sequi quacumque ex causa impediti essent, neque fratres aut propinqui tertii gradus Praelati (3, 4).

Prioris maioris erat circumire Monasterium die noctuque (8) et Monachorum transgressiones punire, non autem in praesentia Praelati, vel quae jam huic patefactae fuerant (9). Cellas visitare non poterat, neque aliis licentiam ingrediendi concedere (nisi nocte infirmitatis causa) neque a Monasterio exeundi, neque ad aliquid dandum aut recipiendum vel ad Epistolas scribendas, nisi absente Abbate, quo regresso, illico expirabant omnes licentiae a Priore concessae. (8, 10).

Quando vacabat Abbatia, huiusmodi Prior nequibat mutare Superiores Domorum subjectarum, neque officiales regulares aut seculares Abbatiae, neque opus aut expensas extraordinarias facere, nisi cum succedebat morte aut suspensione Superioris tribus mensibus ante Capitulum Gen., in quo votum et gradum suo Monasterio competentem obtinebat (11).

Prior secundus esse debebat monachus annorum saltem triginta, habitus vero decem, aptusque ad explicandam Sanctam Regulam. Praesidebat Conventui in absentia Praelati et alterius Prioris, nisi ille cum consilio seniorum alium designasset (13). Ordinarie gradum habitus observabat, vixque quidquam faciendum ipsi incumbere, nisi absente aut impedito altero Priore. (15)¹⁾

III. De Confessariis.

Confessarii tum pro Conventu, tum pro secularibus designabantur praevio examine in Consilio Seniorum, cuius approbatio requirebatur omnino pro illis qui Episcopo erant praesentandi ad audiendas confessiones fidelium. (VIII—3).²⁾ Nulli licebat licentiam Ordinario petere sub poena excommunicationis et perpetuae privationis vocis activae ac pasivae. (1). Ad excipiendum Confessiones mulierum esse debebant confessarii quadraginta annorum si vero huiusmodi aetatis deficerent, designari poterant qui virtute, prudentia scientiaque praecellerent (6). Qui designatus erat pro monachis non ideo censebatur approbatus pro secularibus (4).

Omnes Confessarii subiciebantur examini secundo quoque anno (7)³⁾ praeter Praedicatores ac Magistros generales et alios a Deffinitorio electos, Lectores atque Repetitores Artium aut Theologiae in Collegiis Congregationis (5).⁴⁾

¹⁾ Ceremoniale, pag. 514.

²⁾ Constit. antiq. cap. LVI.

³⁾ Hoc strictius praecipit Capit. gen. 1828 qui voluit includi etiam in hac lege Patres consiliiarii, iussitque ut examen fieret tunc extra Consilium a duobus monachis ad hoc selectis. (Ms. n. 3.)

⁴⁾ Capit. gen. 1765 declaravit hoc intelligendum esse de Magistris alumnorum (Muñoz, n. 30).

Cuncti Religiosi confiteri tenebantur saltem semel in mense (8) et cum approbatis etiam dum erant in via si ad manus eos habebant, secus alii Ordinis, et nullum habentes cuicumque regulari aut seculari (9).¹⁾

IV. De Sacrista.

Sacrista, qui etiam Magister Missarum vocabatur,²⁾ desumendus erat ex Monachis Sacerdotibus, qui zelo domus Dei, morum honestate ac sollertia erga res sacras praefulgeret (IX. 1). Ejus curae erat Paramenta et vasa Altaris custodire; ut sacra Eucharistia decentissime servaretur ac renovaretur singulis hebdomadis; Ecclesiam aperire ac claudere debitis temporibus; Sacerdotibus horam et altare designare et Missarum intentionem adimplere. Propterea cuncti Sacerdotes debebant applicare Sacrum ad ipsius intentionem; qui contrafaciebant ex suis supellectilibus solvere tenebantur usque ad satisfactionem et praeterea puniebantur poenis in graves culpas impositis (4). Eleemosinae Missarum expendebantur in rebus ad divinum cultum pertinentibus (5).

Sacerdotibus extraneis licentiam celebrandi minime concedere poterat Sacrista nisi prius ei facultatem in scriptis exhiberent.

V. De Cellerario.

Cellerarius³⁾ eligendus erat ex Monachis Sacerdotibus extra disciplinam, exclusis tamen qui essent propinqui Praelati usque ad tertium gradum (XX, 2, 3) non licebat adhibere seculares, sed tribui poterant Cellerario socii pariter monachi, in omnibus ipsi subieci (6).

Ad Cellerarium expectabat tota administratio bonorum Monasterii, expensas necessarias facere, atque percipere redditus pecuniae, frugum, pecorum aliarumque huiusmodi rerum (1, 5). Verumtamen emptiones expensasque extraordinarias et venditiones pecorum et fructuum facere non poterat absque venia expressa Superioris, nec debitoribus aliquid remittere, neque praefinitos terminos prorogare, aliquamve cum eisdem conventionem pactare (7).

Quoties in huiusmodi negotiis scriptura conficienda erat (quam nec Praelatus nec Cellerarius concedere poterant sub poena privationis ab officio) et ad Monasterium venire non valebant contrahentes, seligebatur a Consilio Seniorum monachus qui cum

¹⁾ Capitula 1781—85 concessere ut extra Mrium confiterentur cuicumque Sacerdoti approbato (Muñoz, App. n. 5).

²⁾ In aliquibus locis Magister Missarum erat alius a Sacrista, sed uterque ex Sacerdotibus selectus. Ceremoniale, pag. 168 et pag. 519.

³⁾ hisp. »Mayordomo«. In Congregatione erat alius vocatus »Cillerizo« Cellerario subiectus et inserviebat pro servitio interno Monasterii; praecipue Refectorii ac Coquinae. Vide Ceremoniale cap. VI. et VII. pag. 523 et 526.

Cellerario pergeret ad locum ubi contractus erat perficiendus ne bona Monasterii quidquam damni patirentur. (XXIII. 1, 3.)

Ad facilius ferendam administrationem rerum Monasterii Cellerarius habere debebat distinctos Libros pro diversis rebus; unum praecipue in quo inscribebat nomina creditorum, taxasque solvendas atque solutas, per quem bis in anno rationem accepti et expensi Abbati et Consilio ejus reddebat (XX, 10, XXII, 1); alium in quo describebat totius anni exitus et introitus, et per quem Abbas Generalis tempore visitationis computa Coenobii pendebat (XX, 19).

VI. De Depositariis.

Praeter Cellerarium designabantur duo Monachi ad munus Depositarii, itemque alium qui in alterutrius absentia vel impedimento vices ageret. (XXI. 1). Pertinebat ad illos servare pecuniam Monasterii ex redditibus, venditione fructuum, aliisque viis provenientem, atque summas distinctis libris describere; item computa cum Cellerario habita; debita et solutiones singularum personarum; onera Missarum aliaque huiusmodi. — Ad Depositarios expectabat quoque servare taxas quinquennales Apostolicae Sedi suo tempore solvendas, quas Secretario Congregationis tradere debebant cum illas requireret, neque ipsas expendere poterant in aliis rebus sub poena excommunicationis (loc. cit.).

VII. De Archivario.

Ad munus Archivarii designabantur tres monachi, quibus tradebantur totidem claves distinctae, unus autem praecipue habebat curam Archivi (XXIV. n. 3),¹⁾ ibique servare tenebatur scripturas atque instrumenta Monasterii, omniumque indicem conficere, atque antiquorum quae iam facile legi non possent, authenticam translationem curare, novaque instrumenta quamprimum recondere. (4). Nullum scriptum inde licebat extrahere sine Abbatis licentia, relictoque nomine extrahentis in speciali codice, ubi Archivarius summam instrumenti describebat. Quoties procuratores in aliquo tribunali praesentassent, instrumenta huiusmodi relicta ibi authentica translatione, originalia iterum ad Monasterio remittere debebant (7). Archivarius bis quotannis redditurus erat rationem Senioribus tam scripturarum novarum, quam illarum quae ex archivo extractae fuissent (8).²⁾

In Archivo cuiusque Monasterii servandus erat Liber diurnus, seu Commentarium rerum per singulos dies gestarum, in cuius

¹⁾ Constit. antiq. cap. LIII.

²⁾ Capit. gen. 1725 prohibuit nequis revelaret quae instrumenta in Archivis servabantur, et ne Archivarii adderent notas aut correctiones in illis. Muñoz, § IV. n. 16.

initio breviter describenda erat Historia Coenobii; fundatores ac benefactores eius; item gratiae atque privilegia eidem concessa; nomina Abbatum et praecipuorum Monachorum, aliaque memoriae digna; et series Abbatum Generalium. Deinde in eo proseguendus erat elenchus Abbatum et scribenda quae scitu digna invenirentur; nomina illorum qui ibi habitum susceperant; an professionem emississent vel non, et qua de causa; obitus Monachorum, eorumque facta laude digna, non vero defectus neque peccata. Hic liber legendus erat semel in anno in publica mensa ut ad omnes notitia rerum Monasterii perveniret (10). Ex eo etiam quotannis desumenda erant quae ad Archivarium Congregationis mittebantur, ut ea consignaret cum aliis ad Ordinem pertinentibus.

(Continuatio in fasc. seq.)

Die Reliquien des heiligen Emmeram.

Von G. Anton Weber.

Im Jahre 1894 wurde hinter dem Hochaltare der Stiftskirche St. Emmeram zu Regensburg tief unter dem Boden ein einfacher Steinsarg mit einer Leiche aufgefunden. Obwohl Sarg und Leiche durch kein Merkmal gekennzeichnet waren, und die Emmeramer Tradition anders lautete, sprach B. Sepp die Meinung aus, die Leiche sei die des hl. Bischofs Emmeram. J. A. Endres und Hugo Graf von Walderdorff traten in die Fußstapfen und nannten die Grabstätte „Confessio des hl. Emmeram“. „Unter diesem Reklameschild wurde die Entdeckung mit dem sensationellen Titel: „Die neuentdeckte Confessio des hl. Emmeram“ der Welt kundgetan.“¹⁾

Hiebei waren Führerinnen Voreingenommenheit und Phantasie gewesen, die doch bei geschichtlichen und beschreibenden Darstellungen keine führende Rolle spielen sollten. Einzelne Auswärtige, welche mit dem Leichenfande und der steten Überlieferung der Emmeramer Benediktiner nicht vertraut waren, wurden durch die oftmals in wirklichen („allerbestimmteste“) oder umschriebenen („ganz, völlig, hoch, sehr“) Superlativen²⁾

¹⁾ Bruno Krusch im »Neuen Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde«, 29 (1904), S. 364.

²⁾ »Alles Übertriebene im Ausdruck«, schreibt Metternich an Varnhagen, »schadet nur; darum hasse und vermeide ich alle Superlative, denn fast nie sind die Sachen von der Art, daß sie diese Bezeichnung fordern; jeder Superlativ ist an sich schon ein Fehler; er fälscht den Ausdruck.« Und es ist ein treffliches Wort, das wir bei Jungmann (Theorie der geistlichen Beredsamkeit, II, 484) aus dem Spanier Balthasar Gracian zitiert finden: »Der Weise spricht nie im Superlativ; denn dieser ist stets gegen die Wahrheit oder gegen die Klugheit.«